



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 102. Regina datis ad Papam literis Poli revocationem impedire
Satagens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. CII.

Sæcul XVI.

A.C. 1557.

*Regina datis ad Papam literis Poli
revocationem impedire satagens.*

Verum novus hic Legatus munus sibi a Papa impositum acceptare renuebat; forte enim Reginae indignationem incurrere verebatur, aut ob grave se-

*Thuan. sub
finem. l. 20.
Pallav. c. 2.
n. 5. Rayn.
num. 45.*

anium, generisque sui obscuritatem parum benigno obtutu se in Anglia receptum iri pertimescebat: Eapropter summo Pontifici grates rependens eundem impense rogabat, ut illum ab hoc onere eximeret: nihilominus iteratis Papæ mandatis tandem morem gerebat: hinc Paulus IV. de Legati consensu certus ad Angliæ Reginam quantocius literas dedit, quibus eam rogabat, quatenus Peytium tanquam Sedis Apostolicæ Legatum reciperet, eidemque necessariam facultatem concederet. Verum Maria Pontifici hæc in responsis dabat. „Vestram Sanctitatem supplex rogo, ne „Polum, qui ad conservandam Religionem nuper ejusdem Cardinalis opera restauratam in regno meo admodum necessarius est, revocare velit, „hunc enim, si nobis Sanctissime Pater, „eripis, haud dubium est, quin præcipuum Anglicanæ Ecclesiæ fulcrum „submoveas, cunctaque fusque, deque „vertas. His postea addebat Regina:

Hist. Eccles. Tom. XLII. Ll in-

Sæcul. XVI.
A.C. 1557.

„intentatæ in hunc Virum accusatio-
 „nes haud respicere possunt crimina,
 „quæ ante suum in Angliam adven-
 „tum perpetrasset; alias enim Sancti-
 „tas Vestra, dum illum Cantuariensem
 „Archiepiscopum renuntiaverat, in
 „suo diplomate tot laudum præconiis
 „minime eum celebrasset, si vero ab eo
 „tempore, quo in Regno meo agit,
 „adversus eum quædam criminis suspi-
 „cio suborta dicitur, tunc ad Anglicum
 „Ordinis Ecclesiastici tribunal spectat,
 „quod de ejus causa cognoscatur, at-
 „que ex Anglici Regni legibus judice-
 „tur, ac puniatur (*) de cetero haud
 „æquum est, ut, priusquam res eo de-
 „ducatur, univèrsa natio, imo & ipsa
 „etiam Religio Viri ad fidei defensio-
 „nem, & propagationem tantopere ne-
 „cessa-

(*) Quam sublesta fide Continuator hæc
 Regina, seu potius Raynaldi Odorici verba
 reddiderit, ex ipsomet hoc Scriptore elucet
 hic enim rem ita recenset: Quod si post de-
 mandatam illi provinciam suspicio suborta fu-
 erit, jam sibi illius virtuti debitum testimonium,
 laudesque tribuendi facultatem in promptu sat
 esse. Cæterum, ut rite cuncta cognosceren-
 tur, Pontifex de omnibus illam certiolem fa-
 ceret, ut in Poli dicta, vitamque omnem de-
 more, atque ex Angliæ Regni legibus ab Or-
 dinis Ecclesiastici tribunali inquiretur.

cessarii iactura plectatur. His dictis Regina Apostolicas literas afferri, easque adhuc occlusas in quadam cista sedulo asservari præcepit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1557.

§. CIII.

Polus Cardinalis ultro Legationis insignia deponens.

Attamen quamvis Regina, ne Pontificis literæ Polo innotescerent, omnem adhiberet cautelam, ac studiose Pauli IV. iussa eidem sollicite celaret, res tamen hæc nequaquam tam religioso premebatur silentio, ut Poli Cardinalis notitiam fugere possit. Referrunt Scriptorum nonnulli, quod hic idem Cardinalis præceps Pontificis consilium, indignamque agendi rationem indignatus, ab initio innocentiam suam vindicare statuerit, hancque in rem apologiam acribus omnino, durisque verbis repletam conscripserit, postquam vero illam prope focum relegeret, commotiori animo conscriptam deprehendens mox in ignem projecit, hæc addens verba: *Non deteges verenda Patris tui.* Ceterum licet hujus facti veritas dubio exponatur, id tamen certum constat, quod Polus, cum submissionem sibi longe magis proficuum juxta, ac gloriosam fore censeret, ultro Legationis suæ insignia deposuerit, nec amplius

Ciacon. in
vit. Pontif.
tom. 3.
p. 636. in
vita Pol.
pag. 865.
Et in vita
Guil. Peyti.